

...ration.

4

01

A

55



M. K. 22⁷
(Luth. 43 Pape.)

LIBRI TERTII
POLITICORUM

ARISTOTELIS
Cum Paraphrasi Heiniana
EMENDATIUS EDITORUM
DISPUTATIO SECUNDA,

Quam,
PRÆSIDE

M. SEVERO CHRISTOPHO.
RO OLPIO,

POESEOS ORDINARIO ET MORALIUM
EXTRAORDINARIO
PROFESSORE PUBLICO,
ET h. t. DECANO.

publicè ventilandam proponit.

d. Jun.
JUSTUS JONAS von Rospoth/
Eques Variscus.

JENÆ.
Typis Sengenvvaldianis,
ANNO clō lōc LX.



2

ROBERTUS

CHRISTOPH

ROBERTUS

M. SEYERO CHRISTOPH

RO

ROBERTUS





COROLL.

I.

Rebus publicis necessario leges accommodanda sunt ; rectis quidem bona & iusta, vitiosis vero improba & iniusta.

II.

Ante sanctionem legum ratio subditorum & autoritas Principum pro legibus fuere ; obscurata vero ratione, autoritateque Principum, & introducto abusu potestatis frequentiori, leges sanciri cepta sunt.

III.

De essentia vero legis non est iustitia, bonitas & rectitudo, falsum ergo est, quando Reinh. König in Theatr. Polit. Part. II. cap. 1. n. 30. scribit, formam legis consistere in recta ratione.

IV.

Quando cives nobilitate, divitiis, libertate, vel etiam virtute militari sive fortitudine excellunt, accuratè dispiciendum est, quantum cuique honorum propterea sit conferendum, ne inaequalibus equalia assignentur, aut contra; atque ita iustitia lex violetur.

V.

Qui alios virtute & potentiâ ita superant, ut nequaquam cum iis comparandi sint, non debent equali cum illis iure censi.

VI.

Potentia nimia in quibusdam Rebus publicis potest coerceri aut manui Ostracismo.

(o) 2

VII. Ostra-

VII.

Ostracismus erat inventum, quo formidabilem hominum potentiam exilio enervabant.

VIII.

Ostracismo non viles & ignobiles, sed praclarissimi civium in exilium sunt acti, unde haec poena non fuit improbitatis castigatio, sed potentia majoris depressio.

IX.

Ex sententia Plutarchi duravit hoc exilium ad annos decem, quibus expulsi abesse cogebantur ab urbe, ita tamen, ut bonis & praediis suis adhuc fruerentur; Diodorus tamen Siculus scribit, fuisse exilium quinque annorum.

X.

Reipublica licuit eiectionis pro modo potentiae terminum vel coangustare vel etiam extendere.

XI.

Causa inducendi Ostracismi fuit studium equalitatis, quandoquidem αἱ δημοκραταί μὲν αἰ πόλεις pro ceteris omnibus equalitatem affectant, unde & utile & justum remedium dicitur.

XII.

Quod si verò quis omnibus bonis civilibus, praecipue virtute reliquos superet, non est ostracismo pellendus, sed huic tam admiranda virtutis homini perpetui fasces sunt tradendi, eique sponte & libenter obtemperandum.

XIII.

Ex quo Nimrodus vi occupavit imperium, non potest colligi, regna vi capisse.

XIV.

Prigo regnorum ex natura dictamine deducitur, sive respici-

cia-

ciamus sanguinem, sive virtutis excellentiam & beneficia.

XV.

Priscis temporibus magni Patresfamilias exercebant quaedam jura Majestatis, Majestatem tamen non habebant, sed instar Regum presidebant.

XVI.

Regium imperium quò est naturæ propius, eò etiam antiquius & tutius.

XVII.

Illud imperium ab antiquis diversimodè exercebatur; alii enim tantum summam auctoritatem obtinebant in bello, tales olim erant Lacedæmoniorum Reges; hodie ferè generales campi Mareschalli.

XVIII.

Quidam etiam Reges fuere, quibus plerumque barbari populi obtemperabant, qui nullis legibus astricti omnia pro arbitrio disponebant, horum regnum vocant Barbaricum, simileque fuit Tyrannico, à quo tamen differerebat per hoc, quod erat legibus consentaneum & more patrio in volentes imperium exercebatur.

XIX.

Æsymneticum regnum fuit cum Barbarico idem, quatenus summa potestas erat penes unum, diversum verò, quatenus non erat hereditarium, sed electivum. Reges enim interdum per omnem vitam, interdum verò ad certum tempus, aut ad certum negotium expediendum potestate fruebantur.

XX.

Æsymnetis similem fuisse Dictatorem Romanum, non dissimulamus, attamen eundem in quibusdam etiam dis-

(o) 3

similem

similem, intrepidè asserimus.

XXI.

Heroicum regnum in tempora Judicum, quorum sacra Pandecta mentionem faciunt, incidisse, constans historicorum assertio est, quorum Reges quadam jura majestatis exercebant, postea verò eorum potestas paulatim imminuta est.

XXII.

Παμβασιλεία propriè est regnum, quia penes unum est τὸ κύριον, intenditque omnium utilitatem per se, reliqua verò, quoniam potestas summa vel non est penes unum, vel per se non intenditur bonum commune, sunt impropriè Regna.

XXIII.

Dominatus olim habuit locum, quando imperia vi occuparunt, hodiè apud paucas gentes incultiores adhuc est in usu.

XXIV.

Neque Venetianam Rempublicam, nec Belgium fœderatum Regnum vocare possumus.

XXV.

Regnum merè hereditarium non videtur bonæ civitati conducere, sed quod est ex parte hereditarium, ex parte electitium.

XXVI.

In nostra Republ. non est imperium merè electitium.

XXVII.

Præsidium sive stipatores Regi oppidò sunt necessarii, hodiè hoc in omnibus ferè regnis fieri videmus.

XXVIII.

Lex & Princeps in administratione Reipublica mutuas operas locare debent.

XXIX. Lex

XXIX.

Lex principi debet esse norma & froenum, & vicissim Princeps debet esse legis custos, executor & interpret.

XXX.

Princeps non prorsus est solutus legibus quoad vim coactivam.

XXXI.

Lex ex eo, quod non est obnoxia affectuum perturbationibus, minus recte Rempublicam gubernare dicitur, quod tamen asserit Contarenius l. 1. de Rep. Venetorum.

XXXII.

Capitulationes non minuunt Majestatem.

XXXIII.

Leges sunt duorum generum: alia moribus recepta sive non scripta, alia vero scripta; illa plerumque majoris sunt autoritatis, & de rebus majoribus.

XXXIV.

Leges non scripta possunt habere vim legis contra legem divinam & naturalem.

XXXV.

Leges non scripta possunt abolere leges scriptas.

XXXVI.

Obligatio legum civilium pendet à summa potestate, unde etiam dicuntur summa potestatis decreta, proponentia hominibus normam, ad aliquid obligantem.

XXXVII.

Obligatio illa non omnes respicit, nec ad omnia se extendit.

FINIS.

ANTIQUA NOBILITATE CONSPICUO
DN. JUSTO JONÆ à Kospoth /
AMICO SUO S.P.D.
PRÆSES.

Acerri stimuli, qui generosas mentes excitant, sunt virtutes & illustria facta Majorum, quæ tacitâ quâdam vi posterorum animis dominantur, ut eorum lumen, quod sibi Majores prætulerunt, magis magisque accendere, & postfuturis quoque præferre conentur, unde humi repere non possunt, sed & partâ Majorum gloriâ, & insitô vigore, velut secundâ quâdam aurâ, subinde levantur & tolluntur. Testes hujus rei locupletissimos ab omni memoria rerum annales nobis suppeditant. In presenti Te, Nobilissime à Kospoth exempli loco sisto, qui singulari mentis impetu Majorum tuorum gloriæ amulus nihil antiquius habuisti hætenus, quàm ut in studiis præclara cujusque artis & evolvendis optimis rerum civilium & historicarum scriptoribus ita versareris, ut generosum pectus solidâ earum notitiâ instrueres, nullatenus enim contentus es familia insignibus, sed ingenii ornamentis nobilitatem ornare & supra vulgus assurgere moliris. Falluntur quippe maximè, qui, primoribus tantùm labris degustandas Nobilibus esse historias & civilem doctrinâ, autumant, sic enim foret umbra rei, neque nisi inutilis & vana ostentatio. Contra potius existimandum est, quamdiu suam familiam verè nobilem propagare cogitant, & historie ipsis sunt cognoscendæ & doctrina civilis, non quidem ex rivulis, sed ex limpidissimis fontibus haurienda. Quod tu legendis & disputando tentare decrevisti, inde non dubito, quin suavitatem & utilitatem longè maximam sis intellecturus, insimulque ostensurus, quanti ad veram nobilitate momenti sit, colere civilem sapientiam. Tu modò enitere perorò, ut tibi ipse tanti sis, quanti alii videberis, si tuam familiam ultra trecentos quinquaginta annos splendenter consideraverint; Ita virtus nunquam, cum semel ceperit, tua esse desinet.

Vale, & vires tuas strenuè periclitare.

01 A 6574

ULB Halle

3

003 090 566



R. V D 17







LIBRI TERTII
POLITICORUM

ARISTOTELIS
Cum Paraphrasi Heiniana
EMENDATIUS EDITORUM
DISPUTATIO SECUNDA,

Quam,
PRÆSIDE
M. SEVERO CHRISTOPHO-
RO OLPIO,

POESEOS ORDINARIO ET MORA-
LIUM EXTRAORDINARIO
PROFESSORE PUBLICO,
ET h. t. DECANO.

publicè ventilandam proponit.

d. Jun.
JUSTUS JONAS von Rosporch/
Eques Variscus.

JENÆ.
Typis Sengenvvaldianis,
ANNO clc lxc LX.